

7. *Neque in ea requiruntur solemnitates sententiae diffinitivae.* — Interitur ulterius, quod in interponendo primum, vel secundum decretum, non sit necesse servare omnes eas solemnitates, quae requiruntur ad sententiam diffinitivam: nam ejusmodi decretum primum, vel secundum regulatur potius secundum naturam sententiae interlocutoriae, non diffinitivae. Innocentius et Abbas, ubi supra.

8. *Missionis ex primo decreto requisita, quae?* Ad eum requiritur, ut actio sit intentata. — Queritur III. Quae generatim requirantur ad faciendam missionem ex primo decreto. Resp. plura ad eam requiri; adeo, ut card. Tuschus lit. M. concl. 283. allegatis aliis auctoribus, enumeret tredecim ejus requisita: eorum tamen quatuor sequentia sunt principaliora. Primo equidem ad missionem in possessionem ex primo decreto requiritur, quod causa sit intentata, et actor mittendus accusata contumacia rei absentis, petat a iudice se mitti in possessionem: alioquin enim non potest emanare primum decretum; ut l. Dies. § Hoc autem iudicium. ff. de Damno infecto.

9. *Et trina citatio, vel una peremptoria. Nova tamen citatio, non est necessaria.* — Secundo requiritur trina citatio, vel una peremptoria: alioquin enim reus in ordine ad missionem in sua bona faciendam non censeretur contumax, can. De iudicia. 21. quaest. 3. estque amplius dictum, tit. praeced. n. 62 et 114. Verumtamen citatio nova non requiritur ad videndum decerni primum decretum: quia sufficit peremptorium esse emanatum, et reus sit contumax; nam in peremptorio iam debet dici: « Compareas tali die, et peremptorie; alias procedetur contra te. » Bartolus in l. Si finita. § Judicium. n. 25. vers. « Quare, utrum postquam est contumax. » ff. de Damno infecto; card. Tuschus, loc. cit. n. 29.

10. *Requiritur etiam, ut causa propter quam fit, sit vera.* — Tertio requiritur ut causa, propter quam fit missio, sit vera: quia falsa causa vitiat missionem. Baldus, consil. 53, lib. III; Romanus, consil. 96, n. 9, vers. (Oratio). Atque ideo, si debitum, pro quo fit missio, non est verum, primum decretum nullius existit roboris; card. Tuschus, loc. cit. n. 5 et 6, allegans insuper Baldum, consil. 261, lib. V. Idemque dicendum, si reus probaverit justam absentiae causam: quia erit restituendus, l. Si finita, § Si forte, ff. de Damno infecto, vel potius ipso jure invalida est missio, arg. c. Cum Bertholdus, 18, de

Sentent. et Re iudicat. et l. Imperatores, ff. de Privileg. credit.

11. *Simulque quaedam summaria causae cognitio, praecedat.* — Quarto proinde ad decernendam missionem requiritur quaedam summaria dictae causae cognitio et probatio debiti, saltem facta per praesumptiones et iuramentum actoris. Licet enim ad hoc, ut concedatur primum decretum, non requiratur, quod plene constet de debito; sed sufficiat, quod summam, aut per iuramentum actoris probetur, ex quo modicum inde paratur praedictum, et statim reparabile per adventum rei intra annum, ut notat Glossa in l. Cum proponas. § Constat. et Bartolus ibid., § Tertio quero, c. de Bonis auctoritat. iudic. possid. et Muranta, part. VI Speculi aurei, tit. de Contumacia, n. 12. Nihilominus iudex non illico debet festinare ad faciendam talem missionem, sed debet prius saltem summam examinare negotium, et attendere, utrum adsint pro actore aliqua praesumptiones, calumniose petat; simulque exigere ab ipso iuramentum calumniae, quod vera sint petita, nec ea petat per calumniam: debet etiam saltem summam inquirere, an reus nullam habeat justam causam absentiae; prout desumitur ex c. Quoniam, § In aliis, juncta Glossa ibid. § Summatim. et Abbate n. 21. « Ut lite non contestata, » etc.

12. *De qualis sufficiat?* — Hoc ipsum docet card. Tuschus, cit. concl. 283, n. 13, et seqq. sed addit variare opiniones, an sufficiat solum iuramentum calumniae, ut indicat Bartolus, ubi supra, et Bartolus, consil. 261, n. 4, lib. V, allegans communem. Vel an insuper requiratur summaria probatio, saltem per praesumptiones, aut unum testem; prout in decernenda missione ex actione personali requirit Abbas, cit. n. 21, licet secus teneat, quando agitur actione reali, ubi missio ex primo decreto fit potius ad hoc, ut reus tadio affectus veniat responsurus in iudicio.

§ II.

IN QUIBUS LOCUM HABEAT MISSIO EX PRIMO, ET SECUNDO DECRETO?

13. *Est hic distinguendum inter actiones reales, et personales.* — Queritur I. Utrum, et quando in actionibus realibus locum habeat missio in possessionem ex primo decreto? Et notanter additur, « in actionibus realibus; »

hoc est, actionibus in rem, quae videlicet adherent rei, ipsamque vendicant et insequantur, puta agrum, vel domum, quam actor reo negante dicit esse suam. Nam de actionibus personalibus, seu quae proxime tendunt in personam nobis obligatam ex contractu, vel delicto, specialis est difficultas inferius examinanda. Quo praenotato, ac distinguendo ulterius, an in actione reali lis jam fuerit contestata, nec ne,

14. *In actionibus realibus, quando lis jam est contestata, non habet locum missio ex primo decreto.* — Resp. I. In actionibus realibus quando lis jam fuit contestata, non habet tum missio in possessionem ex primo decreto, quamvis postea reus contumaciter se absentet. Si enim liquet, aut liquere potest de causa, ejusque meritis, ut puta per instrumenta, vel testes receptos, sive recipiendos, aut confessionem propriam; tunc illico iudex potest procedere ad sententiam diffinitivam, absolvendo, vel condemnando, prout exigunt merita causae: ita tamen, ut sive pro reo contumaciter absente, sive contra eum pronuntiaverit, semper eum in expensis condemnet; neque reus contumaciter absens a sententia contra ipsum lata appellare possit. Ita habetur in l. Properandam, § Sin autem reus. et § Sin autem ex gestis, c. de Iudiciis, et c. Prout juncta Glossa fin. de Dolo et contumac. Speculator, tit. de Calumnia, § Sequitur, n. 2, et alii: concordant dicta superius tit. praeced. § 5, n. 144, et seqq.

15. *Et qualiter tunc procedendum?* — Quod si vero tunc non liquet, nec liquere potest de meritis causae; ut quia actor pro se non producit idoneos testes, neque instrumenta, quibus plene probet de jure suo, nec etiam per talia constare possit de jure adversarii: tunc ob adeo fortem praesumptionem illam, qua praesumitur contra reum lite contestata contumaciter se absentantem, quod hoc fecerit diffidendo de jure suo: simulque in poenam contumaciae suae, transfertur possessio bonorum petitorum in actorem praesentem, et huic adjudicatur vera ipsorum possessio, ita ut statim fiat verus possessor, sola quaestione proprietatis reo absentem reservata. Patet hoc totum ex l. Consentaneum. c. Quomodo et quando, etc. et cit. c. Prout. de Dolo et contumac. ibi: « Vel praesenti adjudicetis saltem possessionem » ac notat Glossa, et Speculator, ubi supra, cum aliis. Et merito istud de jure statutum fuit, tum in odium

contumacis, contra quem fit praesumptio, c. Decernimus 3. quaest. 9; tum quia praedictum illud, quod reus absens sua culpa per amissionem possessionis incurrit, iterum est reparabile in petitorio iudicio, si ipse probaverit de proprietate bonorum illorum.

16. *Actore non probante reus absolvitur: Limitatur et declaratur.* — Dices: Aut actor probat intentionem suam, et tunc condemnandus est reus, juxta dicta n. 14. aut non probat, et absolvendus est reus: nam generaliter actore non probante, reus absolvitur, c. Cum Ecclesia. § fin. de Causa possess. cum similibus: ergo casus iste posterior non procedit. Resp. neg. anteced. quoad alteram partem: nam specialiter a jure ita statutum fuit, ut si lite jam contestata reus contumaciter se absentet, is possessione bonorum petitorum privandus sit, licet actor jus suum non plene probaverit, per jura et rationes jam allegatas. Unde dictum illud, « Actore non probante reus absolvitur, » potissimum procedit, quando utraque pars est praesens, et neutra contumaciter absens. Glossa in cit. c. Decernimus. 3. q. 9. § Manifestum, estque jam dictum supra tit. praeced. § 3. n. 91.

17. *Quid juris in actionibus realibus, quando lis nondum est contestata, et reus contumaciter abest.* — Resp. II. Loquendo de actionibus realibus, quando lis nondum fuit contestata, tunc reo contumaciter absente, non potest procedi ad receptionem testium, aut sententiam diffinitivam; neque etiam potest actori adjudicari possessio bonorum petitorum, sed actor est mittendus in possessionem rei petita ex primo decreto iudicis, ut reus tadio affectus veniat in iudicium ad respondendum. Et si quidem reus infra annum venerit, simulque expensas ab actore factas, et idoneam cautionem in iudicio sisti praestiterit, salvam suam possessionem una cum fructibus recuperabit: adeo, ut actor non amplius censeatur esse in possessione bonorum petitorum, neque horum detentionem habere. Quod si vero reus intra annum venire, seu praefatam cautionem offerre neglexerit; tunc actor anno elapso, absque alio iudicis decreto, efficitur verus dictorum bonorum possessor, sicque gaudebit omnibus possessionis commodis, sola proprietatis quaestione, atque defensione reo reservata. Ita Glossa in c. Contingit. § Constituitur et Abbas ibid. n. 10. de Dolo et contumac. Menocaius, de Retinend. posses. remed. 3, n. 206 et 207, Pirhing. tit. « Ut lite non contes-

tata, » etc. n. 26, et alii: quamvis Gonzalez Tellez in c. *Tuæ fraternitatis*, n. 32. « Ut lite non contestata, » etc. asserat verius esse, quod tam in actionibus realibus, quam personalibus, necessarium sit secundum decretum iudicis, etiam post lapsum anni ut possessio in actorem transferatur.

18. *Quid juris in actionibus realibus, quando lis nondum est contestata, et reus contumaciter abest.* — Prima pars conclusionis patet ex c. *Accedens*, 2, et c. *Tuæ fraternitatis* 3. « Ut lite non contestata, » etc. cum concordantiis. Et cur actore contumaciter absente possit procedi ad receptionem testium, atque sententiam diffinitivam, non item reo contumaciter absente, si lis nondum contestata fuit, multiplex discriminis ratio jam fuit allata tit. præced. § 3, n. 84 et 88, et seqq. Altera pars quoad singula sua membra ex professo habetur decisa in c. *Quoniam*. § *In aliis*. « Ut lite non contestata, » etc. juncta Glossa et doctoribus ibidem, fusius hoc declarantibus.

19. *Tunc actor ex primo decreto missus in bona petita, post annum efficitur verus possessor. Potest tamen etiam deveniri ad secundum decretum.* — Concordat cit. c. *Accedens*, eod. et cap. I. et ult. h. t. et l. *Si quis emptionis. Sed si quis*. c. *de Præscript. triginta vel quadraginta ann.* cum similibus. Ubi reo contumaciter absente, et lite nondum contestata, actor solum mittitur in possessionem rei petitæ causa custodiæ, sive ex primo decreto: post lapsum autem unius anni veram et incommutabilem rei petitæ possessionem acquirere dicitur, quando reus infra annum non venit, aut veniens idoneam de juri stando cautionem non præstitit. Quod ultimum insuper confirmatur ex c. *Pastoralis* 11, § *Veruntamen. de Offic. judic. ordin.* ibi: « Post annum verus efficiatur possessor. » Quanquam per hoc non negetur, quin post lapsum anni possit deveniri ad secundum decretum, etiam in actionibus realibus: quia licet lapsus anni habeat vim secundi decreti, istud tamen solum contingit tacite; non ergo impedit, quin id etiam expresse fieri valeat, prout notat Menochius cit. n. 207. Atque in hoc sensu potest admitti contraria sententia Gonzalez Tellez, n. 17, in fin. relata. Verum occasione præmissorum.

20. *Annus ille, quando tunc incipiat currere?* — Quæritur II. Utrum annus ille, in quo elapso actor in actionibus realibus constituitur verus possessor, incipiat a die editi

primi decreti, vel potius a die factæ actualis missionis in bona rei contumacis? Contingit enim, quod quandoque inter decretum iudicis, et actualem missionem in bona contumacis, intercedat aliquod tempus medium: idque vel ob resistantiam aut dolum rei, vel ob culpam seu negligentiam actoris, sive etiam absque culpa utriusque. Et in hujus quæstionis resolutione variant doctores; uti videre est apud Abbatem in c. *Quoniam*. § *In aliis*. n. 47. « Ut lite non contestata, » etc. et annotationem Joan. Andreae ad Speculatorem, tit. *De secundo decreto*. § *Videndum*. vers. *Tractandum imminet*. Omissis tamen aliorum opinionibus juvabit eandem congrua distinctione resolvere: unde

21. *Si inter primum decretum iudicis, et actualem missionem, mediat tempus ex culpa rei, annus ille computatur a die interpositionis primi decreti.* — Resp. I. Quando mediat tempus inter primum decretum iudicis, et actualem missionem ex culpa rei, ut puta ob hujus resistantiam vel dolum, tunc ejusmodi annus statim incipit currere, estque computandus a die interpositionis primi decreti. Ita Abbas cit. n. 47, et Speculator tit. *De secundo decreto*. § *Videndum*. n. 20, ubi quidem simpliciter docet, quod annus ille sit computandus a tempore interpositionis primi decreti: sed quia hoc suum assertum probat ex c. *Contingit*, 9, *de Dolo et contum.* ubi sermo est de casu resistantiæ, vel doli per reum commisi, ne actor consequatur decretam sibi possessionem ex primo decreto, vel maxime favet conclusioni. Accedit ratio, quia actor per potentiam, sive dolum adversarii impeditus, ne admittatur in possessionem auctoritate iudicis sibi decretam causa custodiæ, hoc ipso juris fictione habetur jam pro immisso, per textum notabilem in l. *Quamvis*. juncta Glossa § *Perinde habetur*. ff. *de Bonis auctoritat. judic. possidend.* Concordat cit. c. *Contingit. de Dolo et contumac.* quæ posterior probatio ut melius intelligatur.

22. *Actor qui ob resistantiam adversarii rem custodiendam, nancisci non potest, post annum statim verus constituitur possessor.* — Est sciendum, quod cum actori, ob contumaciam adversæ partis, adjudicatur (causa rei servandæ) possessio, et ipse propter rei adversarii potentiam, sive dolum, infra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel acquisitam amittit; tunc actor elapso anno absque alia reali apprehensione possessionis statim

verus constituatur ejus possessor. Ita enim de æquitate canonica habetur decisum in concilio generali (sive Lateranensi, sub Innocentio III celebrato) ac refertur in dicto c. *Contingit*, 9, *de Dolo et contumac.* addita illa ratione: Ne alioquin reus contumax commodum de sua malitia reportet; neve contumax melioris, quam obediens, conditionis existat. Atqui hoc non procederet, nisi in isto casu annus ille statim currere inciperet a die interpositi decreti primi causa rei servandæ; ergo. Concordant dicta superius tit. XII, *de Causa possessionis et proprietatis*. § 4, n. 140 et 141.

23. *Alias annus ille primum currit a die actualis missionis.* — Resp. II. Quod si vero inter decretum primum iudicis, et actualem missionem, intermediet tempus absque culpa rei (ut puta, quia vel actor fuit in culpa, vel neuter existit culpabilis) tunc annus ille, post cuius lapsum actor ipso jure constituitur verus possessor honorum petitorum, primum incipit currere a die actualis missionis. Ita Abbas, ubi supra, n. 47, cum aliis. Conclusio hæc desumitur ex jam cit. c. *Contingit*, 9, *de Dolo et contumac.* ubi concilium generale loquens de actore, qui ob potentiam, vel dolum rei, non potest nancisci possessionem causa rei servandæ sibi decretam, subjungit, « quod is secundum multorum assertionem verus non efficeretur post lapsum anni possessor. » Hæc enim propositio negativa nullatenus verificaretur, si annus ille statim, et universaliter, inciperet currere a die editi primi decreti. Et quamvis ibidem hoc statuatur in casu, quo actor ob culpam rei, nequit adipisci decretam sibi possessionem: tamen istud de æquitate canonica pro casu illo speciali ita statutum fuit, ne contumax melioris, quam obediens, conditionis existat, ut loquitur textus; ac proinde, veluti materia odiosa et pœnalis, ad alium casum non extenditur: et consequenter cessante dolo, et resistantia rei, currit annus ille primum a die factæ missionis. Accedit, quod missio ex primo decreto fiat, ut reus tædio affectus saltem intra annum desistat a sua contumacia, et veniat responsurus in iudicio, c. *Quoniam*. § *In aliis*. « Ut lite non contestata, » etc. Sed antequam fiat missio actualis, non potest dici tædium illatum; sicque cessat ratio, computandi tempus actualem missionem antecedens intra annum præfatum.

24. *In actionibus personalibus, qualiter actor ob contumaciam rei sit mittendus in possessio-*

nem ex primo decreto? — Quæritur III. An, et qualiter in actionibus personalibus locum habeat missio ex primo, vel secundo decreto? Resp. I. Quando reus actione personali convenas in iudicium venire contemnit, seu contumaciter abest, etiam lite necdum contestata, tunc actor ex primo decreto mittendus est custodiæ causa in possessionem honorum ipsius rei, pro modo debiti in libello actoris declarati; et primo quidem in possessionem honorum mobilium; deinde, si mobilia reus non habeat, vel saltem non sufficientia, in possessionem honorum immobilium ipsius: ita tamen, ut si reus intra annum, vel etiam post annum ante interpositionem secundi decreti venerit, et restitutus expensis caverit de iudicio sisti, is audiri debeat, simulque recuperet res suas, harumque detentionem et custodiam. Ita habetur expressum in cit. c. *Quoniam*. § fin. « Ut lite non contestata, » etc. ac notat Glossa ibid. § *Si autem*. et Abbas § *In aliis*. n. 1 et communis aliorum.

25. *Actor tunc post annum non acquirit possessionem bonorum absque secundo decreto.* — Resp. II. Quamvis ejusmodi reus diutius in contumacia perstiterit, nihilominus actor post lapsum unius anni, vel etiam longioris temporis, non acquirit ipso jure possessionem bonorum illorum: in quæ pro mensura debiti in suo libello declarati missus fuerat ex primo decreto custodiæ causa: sed opus est secundo decreto iudicis. Ita Glossa in c. *Contingit*. § *Constituatur. de Dolo et contumac.* Abbas in c. *Quoniam*. § *In aliis*. n. 16, 37 et 40. « Ut lite contestata. » Speculator tit. *De secundo decreto*. § *Videndum*. n. 20. Zoesius h. t. n. 1; Vallensis, n. 3; Engel. eod. n. 3; Pirhing, n. 17, et alii communiter. Accedit ratio, quia nullibi jura in actione personali attribuunt actori post missionem ex primo decreto, et lapsum unius anni, veram possessionem bonorum pro modo debiti petitorum, sicut fit in actione reali; sicque illud non est asserendum; quia « Erubescimus sine textu loqui, » juxta Auth. *De Triente et Semisse*. § *Consideremus*. collat. 3, cum similibus.

26. *Idque amplius probatur.* — Accedit, quod in actione personali reus non solum intra annum, sed etiam post annum ante interpositum secundum decretum veniens, recuperet res suas, earumque possessionem, dummodo actori restituat expensas, ac præstet cautionem de iudicio sisti; prout habetur

d. c. *Quoniam*. § fin. juncta Glossa *¶* *Distinctionem*. et doctoribus ibid. et l. *Cum proponas*. et Auth. seq. c. *de Bonis auctorit. judic. possid.* Atqui hoc esset falsum, si actor in actione personali illico post lapsum anni, et absque interpositione secundi decreti, acquireret veram et incommutabilem talium honorum possessionem; ergo.

27. *Notabilis differentia inter actiones reales et personales*. — Nec obstat, quod secus accidat in actione reali, ubi quis post lapsum anni illico, et ipso jure, verus efficitur possessor illius rei, in quam ob contumaciam rei absentis auctoritate judicis ex primo decreto, seu custodiae causa missus est. Non obstat, inquam, tum quia in actione reali istud jura satis clare statuerunt, ut dictum n. 17 et 19, secus in personali; tum quia inter utramque magna intercedit ratio disparitatis; nam in actione reali missus ex primo decreto praetendit jus in re, contendendo videlicet rem illam, in cujus possessionem ob contumaciam rei missus fuit, esse suam in specie: simulque hoc actoris petatum esse verum, fortiter praesumi facit contumacia rei ultra annum post primum decretum sese absentantis; et hinc merito jura ipso facto post lapsum anni attribuunt actori veram possessionem, sola defensione proprietatis reo servata. Secus accidit in actione personali: nam ibi actor non praetendit jus in re, quin potius ex primo decreto missus est in possessionem rei non suae, sive quam in specie vindicare non intendit, neque dicere potest eam esse suam; cum solam personam rei contendat sibi esse obstrictam ad aliquid dandum, vel faciendum: et hinc non mirum, quod ad acquirendam veram et incommutabilem possessionem rei illius, quam actor sibi in specie non esse obligatam ultro datur, requiratur secundum decretum judicis etiam post lapsum anni; et ante emanatum istud decretum semper possit res illa recuperari per reum supervenientem, solutis tamen expensis, ac praestita cautione de iudicio sisti.

28. *Missio ex primo decreto, an et quando locum habeat in causis beneficialibus?* Queritur IV. Utrum missio in possessionem ex primo decreto, locum habeat in causis beneficialibus? Resp. I. Quando agitur de beneficio ecclesiastico quoad titulum obtinendo, tunc ob contumaciam rei absentis non fit missio actoris in possessionem dicti beneficii ex primo decreto causa rei servandae;

sed procedendum est ad recipiendas probationes, atque examinato rite negotio (si de meritis causae liqueat) usque ad sententiam diffinitivam, etiam lite non contestata. Ita habetur expressum in cap. un. h. t. in 6, quod est desumptum ex concilio Lugdunensi celebrato sub Innocentio IV. Et quantum attinet priorem partem, merito sic statutum fuit: ne alioquin hac occasione ad ecclesiastica beneficia vitiosus parere valeat ingressus; prout loquitur textus ibidem. Non enim ex possessione, vel contumacia alterius, sed solum ex canonica institutione, beneficia ecclesiastica obtineri possunt, ac debent e. *Ex frequentibus*. 3. *de Institut.* et cap. 1. *de Reg. juris* in 6. cum similibus. Ratio autem posterioris partis est: ne alioquin propter longiorem moram, in spiritualibus et temporalibus ecclesia patiatur detrimentum, c. *Quoniam*. § *Porro*. « Ut lite non contestata, » etc.

29. *Missio ex primo decreto, an et quando locum habeat in causis beneficialibus?* Resp. II. Quando agitur de proprietate ecclesiarum, non autem de beneficio quoad titulum obtinendo, tunc bene habet locum missio ex primo decreto. Ita Glossa in cit. cap. un. *¶* *Vitiosus*, h. t. in 6. Idque patet ex c. *Cum sicut*, 2, h. t. ubi ob allegatam rei contumaciam, moniales aliqua fuerunt missae in possessionem Ecclesiae petita causa rei servandae. Ex quo proinde loco recte Abbas ibid. n. 2, ac Zoesius h. t. n. 4, et Gonzalez Tellez in c. *Tuae fraternitatis*, n. 11. « Ut lite non contestata, » etc. cum aliis colligunt, quod si petitur Ecclesia ut proprietas, habeat locum missio ex primo decreto: non quod fiat missio in jura Ecclesiae, sed in ipsum corpus Ecclesiae causa rei servandae.

30. *Et quid in causis matrimonialibus?* — Caeterum id, quod n. 28, dictum est, videlicet missionem in beneficia ecclesiastica quoad titulum non habere locum; sed lite etiam non contestata, esse testes recipiendos, ac negotio rite examinato (si de causa liqueat) ferendam sententiam diffinitivam: procedit pariter in causis matrimonialibus, ubi alter conjugum peremptorie citatus venire contemnit, seu malitiose se occultat, aut impedit, ne ad ipsum citatio pervenire possit; prout habetur decisum cit. c. *Quoniam*, § *Porro*. « Ut lite non contestata, » etc. Et ratio est, ut hac ratione evitetur periculum animarum, et causa diutius ob absentiam partis contumacis protracta, non praebatur viro aut mulieri occasio fornicationis.

§ III.

DE NECESSITATE, TEMPORE, AC EFFECTIBUS MISSIONIS EX PRIMO ET SECUNDO DECRETO.

31. *In actionibus realibus non est opus secundo decreto*. — Queritur I. Utrum tam in actionibus realibus, quam personalibus, opus sit missione in possessionem honorum contumacis ex secundo decreto? Resp. I. In actionibus realibus non est opus secundo decreto judicis; sed, si reus contumax exhibita congrua satisfactione expensarum, et praestita cautione de iudicio sisti, infra annum post factam primi decreti interpositionem comparere neglexerit, actor post annum absque alio secundo judicis decreto statim ipso jure verus rei petita constituitur possessor; adeo, ut reus contumax postea primum veniens, non audiatur, nisi super proprietate. Textus est in c. *Quoniam*, § *In aliis*. « Ut lite non contestata, » etc. Ubi Glossa *¶* *Constituatur*, proinde infert, quod in realibus actionibus locum non habeat secundum decretum, nisi aliquis ad cautelam illud impetret: quia solus transcursus anni constituit aliquem possessorem verum. Id ipsum desumitur ex c. *Pastoralis*, 11, juncta Glossa *¶* *Possessor de Offic. ordinar.* et c. *Contingit, de Dolo et contumac.* ac tradit Glossa alia hic *¶* *Constituatur*, estque communis doctorum, juxta dicta superius n. 17 et 19.

32. *Et cur tale fuerit interpositum, cap. 1, h. t.* — Nec obstat textus in cap. 1, h. t. ubi Pontifex in actione reali legitur interposuisse secundum decretum. Resp. enim istud factum ex eo, quia ibi dubitabatur super valore cautionis, quam reus antea contumax intra annum facere voluit, sed ex proprio defectu non praestitit: unde quia de tali voluntate concertabatur, et dubitabatur, an sufficeret, hoc ipsum antea examinatum fuit; et comperto, quod ex proprio defectu non fuerit deducta in opus, voluntas illa iudicabatur insufficientis: et ideo datum fuit secundum decretum, quo missis ex primo decreto adjudicabatur vera et incommutabilis rei petita possessio. Glossa fin. juncto summario ibid. Quinimo in effectu illud potius fuit quaedam declaratio verae possessionis, ipso jure jam acquisita post lapsum anni, quam secundum decretum judicis, ut notat Abbas ibid. n. 6.

33. *Potest tamen impetrari ad cautelam*. — Addit notanter Glossa n. 31, relata, « nisi aliquis ad cautelam illud impetret. » Quia, licet superfluis remediis utendum non sit,

c. *Sicut 2, de Probation.* Et frustra a principe impetretur, quod de jure communiter conceditur, l. *Imperatores*, et Bartolus in summario ibid. ff. *de Privileg. creditor.* Nihilominus non negatur, quin ob quorundam improbitatem, et majorem cautelam (cum abundans cautela non noceat, l. *Testamentum C. de Testament.*) etiam in actione reali possit quis impetrare secundum decretum, quanquam istud necessario non requiratur, cum ipsemet lapsus anni actorem ipso jure constituat verum et incommutabilem possessorem, per jura jam allegata, Glossa in c. *Contingit, ¶* *Constituatur*, et Joan. Andreas ibid. *de Dolo et contumac.* et Abbas in cap. 1, n. 6, h. t.

34. *Nec talis cautela est damnosa*. — Nec obstat, quod Odoffredus, et nonnulli alii dicant hanc cautelam esse damnosam. Quia male loquuntur, ut inquit Glossa marginalis, et Joan. Andreas loc. cit. hancque Odoffredi sententiam ex professo rejicit. Speculator tit. *De secundo decreto, ¶* *Videntur*, n. 20 et 21, solvens contraria.

35. *In actionibus personalibus opus est secundo decreto, ad acquirendam veram bonorum possessionem*. — Resp. II. In actionibus personalibus omnino opus est secundo decreto judicis ad acquirendam veram possessionem bonorum, in qua ob contumaciam rei absentis missus est ex primo decreto. Ita Glossa in c. *Contingit, ¶* *Constituatur, de Dolo et contumac.* Speculator cit. tit. *De secundo decreto, § Vivendum*, n. 20 et seqq. et communis aliorum. Ratio diversitatis inter actiones reales, et personales est: quia in actione reali actor praetendit jus in re respectu illius, in quam ex primo decreto missus est; non item in actione personali, ut jam dictum supra n. 24 et seqq. ubi plura de hoc.

36. *Est in arbitrario judicis, quo tempore missionem ex secundo decreto facere velit*. — Queritur II. Quo tempore possit interponi secundum decretum judicis? Resp. breviter, in arbitrio judicis positum esse, quo tempore missionem ex secundo decreto facere velit; cum hujusmodi tempus a jure non fuerit praefinitum. Ita, rejectis aliorum opinionibus, notat Glossa in l. *Cum proponas, ¶* *Tempore*, et Bartolus ibid. *C. de Bonis auctorit. judic. possidend.* Joan. Andreas in c. *Quoniam*, n. 4. et Abbas ibid. § *In aliis*, n. 44. « Ut lite non contestata, » etc., et idem Abbas in cap. 1, n. 6, h. t. asserens, quod secundum decretum possit interponi arbitrio judicis.